Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1257

Quelle:
Copyright:

modi opus non eſt iis, qui *Maternum* ad Seculi IV. initia deponunt; tunc enim inoffenſo pede procedit ſeries, ut in *Galliae Chriſt.* T. III. p. 621. quacum noſtram contendi, et ſequentia obſervo: *Euphratam* noſtra non computat, *Aquilinum Solatium* adpellat, *Simoneo Remedium* ſubdit, a quo ſtatim tranſit ad *Kunibertum*, *Agilolfum* praeponit *Reiginfrido*, *Hildegerum* ait occiſum *in monte, qui dicitur Wiberg*, *Hildebertum* diſſimulat, *Waldradam Lotharii* Imp. concubinam diſerte *Guntharii* Ep. *ſororem* vocat, eumque probabilius apud *Xanctum* (Xanten, Santen) quam *Zanecis*, ut in ſuo Catal. habet *Levoldus* T. II. *Rer. Germ. Meibom.* periiſſe adfirmat, *Hugonem* et *Hilduinum* omittit, de *Brunone* I. iſtud notabile: *factus Epiſcopus ſponſam ſuam inclitam Coloniam a iugo ancillari excuſſit. frenum tributi eius ſoluit ac libertati eam priſtine donans primus in ea glorie benedictionem inſeruit.* In ceteris cum *Gallia Chriſt.* conſpirans ita definit: *Quinquageſimus II^us. ſucceſſit Engilbertus de valkinberg prepoſitus maioris eccleſie Colon.* Itaque annus MCCLXII. illi extremus eſt, ſed cum haec verba a diverſa manu ſint, Series ipſa aliquo tempore prius conſcripta videtur. Hinc antiquior *Catalogis* illis, quorum praevie *l. cit.* meminit *Gallia Chriſt.* et fertilis rerum praecipue, quod ad poſteriores Praeſules adtinet, nec autoritatis ſpernendae.

IV. *fol.* 90. p. 2. Indiculus *Imperatorum* a *Carolo M.* adjectis cuivis annis Regiminis, ſi ultimum demas *Fridericum* II. cui cum nihil additum ſit, eo vivente, igitur ante an. MCCL. ſcriptum conjecto. Comparet in eo etiam *Cendeboldus.* Ad calcem legas Feriati cujusdam verſiculos, qui repraeſentari merentur:

Militat haut aliquis niſi miles. militat autem
Omnis amans. ergo nil niſi miles amat.

Sequitur in ſpeciem opponentis:

Solus in arte ſagax eſt clericus. ergo decenter
Solus amat, cum ſit arte regendus amor.

Clericum, quaeſo, hic accipe, ut ſolebat, hominem literatum, Notarium, Scribam &c.

V. *fol.* 91. *Incipiunt ſententie bone circumquaque collecte.* Puta e *Bernardo*, *Hieronymo*, *Gregorio M. Auguſtino*, *Beda* &c.

VI. *fol.* 95. Viſio *Tungdali*, *Tundali*, *Thundali*, *Tondali* Militis *Hiberni* patria *Caſſelenſis*, cujus Anima peregrinata e corpore Damnatorum poenas et Beatorum gaudia luſtraſſe dicitur. Incipit Prologus: *Uenerabili ac deo deuote*